



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 115. Quo jure hoc impedimentum dirimat Matrimonium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



baptizata; adeoque incapax Sacramenti; cum matrimonio, utpote unicum indivisibile vinculum efficiens duo extrema, nequeat esse Sacramentum ex parte unius, & non ex parte alterius. Castrop. d. 4. p. 11. n. 1. Præterquam quod hæc disparitas sit impedimentum impediens, seu reddat Christiano graviter prohibitum, adeoque illicitum matrimonium, prout constat ex illo Apostoli 2. ad Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: Prout hunc textum explicat D. Hieron. L. 1. *adversus Jovinianum*. Item ex c. *non oportet*. & c. *cave*. 28. q. 1. junctâ Gl. v. *Christiana*. quæ etiam *ibidem* notat, quod Catechumenus non sit fidelis. Præter hoc, inquam, est impedimentum dirimens, seu dirimat matrimonium contrahendum, & contractum à Christiano cum infideli seu non baptizato, ut constat ex communi usu & consuetudine Ecclesiæ, habentis istiusmodi matrimonia contracta sine dispensatione pro nullis & irritis.

*Quest. 115. Quo jure hoc impedimentum dirimat matrimonium.*

1. **R**esp. primò: Non dirimit illud jure naturali. Castrop. l. c. Pont. l. 7. c. 47. n. 2. & 3. Gutt. c. 104. n. 1. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 11. n. 1. Pirh. b. e. n. 164. cum communi. Siquidem dicta disparitas non repugnat substantiæ seu essentiæ & fini matrimonii; cum stante illa obligari possint conjugales tales ad cohabitationem, debiti redditionem, & proli educationem. Et licet ordinariè dicta cohabitatio obnoxia gravibus discordiis & periculis, & timenda mala proli educatione; hæc tamen non probant esse talia conjugia irrita, sed tantum illicita plerumque, sive nisi hic & nunc quandoque gravis necessitas & causa excuset. Atque ita non tantum in lege veteri plures fideles contraxerunt matrimonia cum gentilibus & idololatris. Jacob cum filiabus Laban, quæ videntur fuisse idololatras. Joseph cum filia Putipharis. Salomon cum filia Pharaonis. Esther cum Astuero; sed & in lege nova seu Christiana, v. g. Monica cum viro infideli. Clotildis cum Clodeveo; absque eo, quod in Scriptura aut Ecclesia propterea istiusmodi matrimonia habita sint pro concubinato, aut etiam reprehendantur. Sed neque his obstat, quod conjux factus fidelis, privilegio fidei possit ab infideli recedere, ac matrimonium solvere contrahendo aliud; exinde enim non sequitur, prius matrimonium jam eo ipso reddi invalidum seu dirimi; potest siquidem etiam cum infideli remanere, ubi nullum periculum perversionis, aut contumelia creatori imminet, quod non posset, si matrimonium fidelis cum infideli dirimeretur jure naturæ.

2. Resp. secundò: Neque impedimentum hoc jure positivo dirimit matrimonium, Covar. l. c. dicens esse communem Canonistarum, & Theologorum. Castrop. Gutt. Pont. Pirh. l. c. cit. nullus siquidem textus est, ex quo id colligatur. Et licet Christus elevaverit matrimonium in Sacramentum. Quin & licet exinde aliasve ob rationes dicatur jure positivo divino promulgato ab Apostolo prohibitum tale matrimonium fidelis cum infideli; non tamen hinc sequitur aut probatur, Christum inhabitasse quoque fideles ad matrimonium, quod non est Sacramentum.

3. Resp. terciò: Est proinde hoc impedimentum dirimens introductum solo jure ecclesiastico, AA. citati cum communi & certa. Et licet foras sit (dico foras sit; quia aliqui hoc deducere volunt ex Concilio Nicæno, Can. 67, & 69, ubi æquè pu-

nitur nubens infideli, quàm habens duas uxores; neque admittitur ad poenitentiam, nisi infidelem relinquat) jus nullum scriptum Pontificium aut Concilii generalis hæc de re extat, est tamen iustificenter inductum consuetudine, & praxi universalis Ecclesiæ profecta traditione Apostolorum, prout colligitur ex c. 28. q. 1. quæ consuetudo vim legis irritantis habet, Sanch. L. 1. d. 71. n. 7. & 8. Castrop. cit. p. 11. n. 3. Pirh. l. c. Inde jam sequitur, posse Papam in hoc dispensare, ut fidelis contrahat matrimonium cum infideli, & quidem licitè, si causa sit gravis, & periculum perversionis tam in conjuge quàm liberis caveatur. Sanch. n. 10. Castrop. n. 4. Gutt. n. 2. Pirh. n. 164.

*Quest. 116. An hoc impedimentum extendat se ad matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, eaque dirimat.*

**R**esp. negativè D. Thom. in 4. c. 39. q. unic. a. 1. ad 5. Sanch. L. 7. d. 72. Gutt. n. 6. Castrop. n. 6. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. Pirh. b. t. n. 165. cum communi Theologorum & Juristar, contra Gl. in c. *fin. de condit. appof. v. contr. a substantiam*. Hofst. in c. 1. de conjug. servor. Cæterum n. 157. Simanch. de Cathol. instr. c. 40. & 46. & paucos alios, Arg. c. *decevit. de hæret. in 6.* ubi decretum, uxores, quæ scienter nupterunt hæreticis privandas dote in poenam delicti, & tamen non præcipitur illas separandas à viris; adeoque supponitur matrimonium esse validum. Neque his obstant, quæ in contrarium adduci solent ex Conciliis Carthag. 3. c. 12. Chalced. c. 14. Illiberit. c. 11. 16. 17. Agathens. Can. 67. quæ eodem modo videntur loqui de matrimonio cum Hæreticis, ac de matrimonio cum infidelibus. Nam est, omnia hæc sint authentica, dici potest cum Castrop. l. c. n. 7. antiquis temporibus fuisse matrimonia cum Hæreticis irrita, dicta irritatione contraria consuetudine abrogatâ; præterquam quod nomen *Hæretici*, ut Castrop. l. c. Pont. in append. ad c. 46. L. 7. c. 1. Reginald. & alii, sumatur quandoque, & speciatim in can. 72. sextæ Synod. general. pro infideli. Sed neque facta contra legem habenda sunt pro infectis, ut habetur L. *non dubium. c. de ill. nisi lex illa irritet.*

*Quest. 117. Quo jure illicitum & prohibitum sit matrimonium cum Hæreticis.*

1. **R**esp. primò: Prohibitum & illicitum esse jure ecclesiastico constat ex citatis Conciliis, uti & ex c. *oportet. caus. 28. q. 1.* quod desumptum est ex Concil. Agath. c. 25. ubi dicitur; *Non oportet cum Hæreticis commiscere connubia*. Prohibitum quoque esse jure divino positivo, colligunt plures ex citatis verbis Apost. 2. ad Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infideli*, ut videre est apud Cornel. à Lapide, & Toletum in illum locum.

2. Resp. secundò: Jure naturæ illicitum est, dum adest periculum perversionis conjugis Catholicæ, vel malæ educationis prolium in hæresi, aut etiam gravium jurgiorum inter conjuges, quæ vix abesse possunt inter tales conjuges diversæ fidei, Pont. l. c. c. 2. per tot. Castrop. n. 8. Pirh. n. 165. cum communi & patet. Dum verò probabiliter & prudenter creditur abesse dictum periculum, non repugnat tale conjugium juri naturæ; siquidem lex illa naturæ fundatur in dicto periculo. Castrop. n. 10. Cönnick. d. 31. du. 3. concl. 3. & du. 26. n. 21. Pirh. l. c. & AA. communiter. Unde sequitur, quod